




PALAESTRA LATINA



S U M M A R I U M

- MISERET, PAENITET, PIGET, PUDET, TAEDET. (E. Jové).
- MYSTERIUM FIDEL. (J. Llobera).
- SCHOLASTICI ANGSTIAE. (Philoponus).
- COMMERCIUM EPISTULARE.
- DOMUS. (I. González).
- PALAESTRICUS EPHEBIS SUIS.
- SOMNIUM SCIPIONIS. ((J. M. Mir).
- SCOPAS. (Phidias).
- INDEX RERUM.
- BIBLIOGRAPHIA. (Catalán, Mir).
- TESTIMONIOS AUTORIZADOS.

Ordinarii atque Superiorum permissu

Bibliographia

Les Etudes Classiques. Tome I, n. 1, Janvier—1932. Namur, rue de Bruxelles, 50. Bélgica.

Ita appellatur commentarius qui nuper in Belgio adparuit, tertio quoque mense edendus ad eum finem ut studia epheborum mediae institutionis in linguis et scriptoribus quos classicos vocant, copiose atque multumque foveat. Primi fasciculi summarium hac se habet ratione: De caussa numeri in oratione Pindari (A. Rome); Adnotationes in Vergilium (P. Fécherolle); Clarissimi Bossuetii fabulae et historiae (Ch. Trooz); De triangulo isoscelis (F. Goreux); Nonnulla de patria historia (L. Willaert); De re geographica Belgica (J. Halkin); Pars Bibliographica.

Gariel, A. *Dictionnaire Latin-Français.* A. Hatier, 8 rue d'Assas, Paris VI. p. 590. 1930.

Semper optimam diximus salutem iis Latinitatis voluminibus quae opus in alumnorum eruditione praeceptoribus expedirent, et laborem alumnis redderent simpliciorem. En habes cur hujus «Dictionnaire Latin - Français», ortum salutemus, accurata diligentia dispositum et simplicitate. Paucis formam lexici hujusmodi dabo. Quingentiarum ferme et nonaginta pagellarum est, typis parvis sed nitidis omnino; id autem quod in admirationem facile verteret est profecto, ni fallor, vocabulorum numerus in tam exiguis pagellis tantus. Hoc solum in dictionario Dr. Gariel invenies quo adulescentes classica institutione imbuentur; illius sane scopus aliis non fuit quam classicorum scriptorum expeditam versionem auditoribus præbere. Passim et quasi obiter pagellas percurrenti perplura de verborum rectione atque nominum ostendit. O utinam tale, at simile lexicon Hispanorum

usu accomodatum omniam sit in manibus. Quando felicem ejus ortum eodem quo istius «Dictionnaire Latin-Français» salutabimus animo?

R. CATALÁN, C. M. F.

Ragnar Ullmann, *Etude sur le style des discours de Tite Live.* Oslo. I Kommision hos Jacob Dybwad. Pga. 1930. 1929.

Clarus hujus operis auctor «laet team Livii libertatem», quae ex contentionibus in libris ab Urbe Condita interpositis, sugere licea, omnibus patefacere et conlustrare conatus est. Apud Romanos historiam opus maxime oratorium esse, atque sub hoc aspectu præ primis Livii opus inspiciendum animadvertisit Dnus. Ullmann. Significat quoque Patavinum præceptis Tullii de historia et arte obtemperasse, neque silet de modo diverso quo apud recentiores aestimatur. Quibus praemissis, subtilius de Livii stilo in contentionibus sermo est et primo quidem de quibusdam dicendi generibus ab auctore «reliefs stylistiques» appellatis. Deinde venit auctor atropos figurasyne sive sententiarum sive verborum quas enumerare opus non est, quaeque maximam operis partem complectuntur. Postea de verbis in orationis elocutione, de numero oratorio quem tanti fecerunt Romani, de discrimine inter Tullii et Livii clausulas numerose cadentes, et tandem de dicendi generibus.

In unoquoque articulo, primo præcepta rei et definitiones sive ex veteribus sive ex recentioribus excerpta tradit, deinde summa exemplorum copia rem et declarat ei confirmat. Opus vere eximum confecit Dnus. Ragnar Ullmann in honorem perfecti oratoris Romani et sibi metipsi pariter celebritatem eximii excultoris Titi Livii et rhetoricae artis comparavit.=JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.



MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

Miseret, paenitet, piget, pudet, taedet

Singularem horum verborum constructionem nemo est quin noverit. In comuni et classico dicendi genere cum accusativo personae et genitivo rei solent inveniri nullo explicito nominativo, quod non sit nisi cum magna admiratione eorum qui regulares locutionum Latinarum formas in grammaticis persequuntur. Liceat hic lectoribus horum verborum aliquot exempla tradere, ut postea melius inde orationis nostrae videant evolutionem.

Exempla: Cave te fratrum pro fratri salutे obsecrantium misereat. Sapientia eo contenta est quod adest, neque eam umquam sui paenitet. Si essem ab illis ortus, nonnullos jam tuae turpidinis pigeret. Non te hujuscemodi crimen maxime ejus pudet? Quid quaeris? taedet omnium vos vitae. Eorum nos magis miseret qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant. Me mei paenitet. Profecto vos hujus omnis injuriae pigeret. Pudet me non tui, sed Chrysippi. Quod si vos, judices, talium civium taedet, ostendite. Miseret te aliorum, tui te nec miseret, nec pudet. Mutationis spes nulla, sed, quod facile sentias, taedet ipsum Pompejum vehementerque paenitet. Me civitatis morum piget taedetque. Sunt homines quos infamiae suae neque pudeat, neque taedeat.

Suntne impersonalia illa verba? Jam primum videamus quaenam veniant impersonalium nomine verba. Impersonalia dicuntur, non quae nullius sint personae verbalis, ut quidam ajunt, sed quae videantur sine nominativo consistere, in quo ipsa inest persona.

Posteriore certe modo inter impersonalia *miseret, paenitet, piget, pudet, taedet* numeramus. Quamvis enim non semel eorum usus reperit primae et secundae personae terminaciones verbales, talis non est regularis vel potius communis eorum constructio, quae ideo alumnis est disuadenda, utpote minus Latinæ respondens loquendi consuetudini.

Cum autem, ex praedicta superius vera impersonalium verborum definitione, adparenter tantum careant nominativo seu subjecto, exquirendum restat, quaenam sint illa subjecta quae regularitatem constructionis patefaciant. Quam quidem ad rem explicandam sunt qui verba, de quibus agitur, contractionem esse potent, nominis et verbi in unum vocabulum; ita ut *paenitet* non sit nisi *paenitentia tenet, pudet, pudor tenet, miseret miseratio tenet, taedet taedium tenet, piget pigror tenet*, quae sic in aliis temporibus indicativi et subjuntivi per tertias tantum singulares personas flectantur. Tunc in adlatiis ante exemplis plenae essent hujusmodi sententiae: *tui me miseratio tenet, mei pigror tenet. Me mei paenitentia tenet. Ut me non solum pigror teneat stultitiae meae, sed etiam pudor teneat. Taedium nos tenet vitae, quemadmodum dixerat Cicero: memoria mei tenet vos; odium vestri ordinis tenet eos; summum me eorum studium tenet, sicut odium jam ceterarum rerum.* Quam explicationem admittimus libentissime, etsi non ut veram, saltem ut bene repartam et satis facientem. Veritati ejus refragari videtur personalis omnium verborum positio quae non fuit infrequens. Sic apud probatos scriptores: *me quidem haec condicio nunc non paenitet* (non, *paenitentia tenet*); *ita nunc pudeo* (non, *pudor tenet*). *Ipse sui miseret* (non, *miseratio tenet*). *Exterrita est quae taeduuit animam* (non *taedium tenuit*). *Id quod pudet* (non, *pudor tenet*) *facilius fertur, quam illud quod piget* (non, *pigror tenet*).

Ex abusu tamen raras illas formas personales promanasse in sermonem Latinum, non est difficile suspicari ut explicationem superius propositam nobis integrum sit amplexari. Legitimitatem autem utriusque constructionis servare malimus altera explicatione quam adfert Perizonius cuius ego hoc sensum transfero. Ubi absolute – inquit ille – sine addita ulla nominativi especie occurrit forma ut *miseret me tui, pudet me filii*, tum vero intellegi videtur *negotium, respectus*, atque ita tum genitivo significatur, ut ait Priscianus, persona ex qua fit actus. Sic ergo Terentius: *nostri nosmet paenitet* h. e. *negotium nostri, mei, tui, cet., fratri* *me quidem pudet pigetque* h. e. *respectus fratri* male rem gerentis me pudet pigetque. At quando filius ad patrem dicit *et me tui pudet* sensus est: *respectus tui tam boni patris*. At quando in genitivo non persona sed res exprimitur, tum manifeste intellegitur *negotium* vel etiam, si quis malit, *respectus*. Certe nihil

discriminis est, quod ad sensum et ad constructionem ellipsi manifesta adjutam inter illa: *non te haec pudent?* et: *non te horum pudet scil. negotium*, quae ambae sunt Terentianae locutiones.

Conclusio. Ea, de quibus egimus verba, vere sunt impersonalia cuius implicitum subjectum aut conflatum est in unum idemque vocabulum cum verbo, ita ut sint *paenitet*, *miseret*, *piget*, *pudet*, *taedet* ex *paenitentia*, *miseratio*, *pigror*, *pudor*, *taedium tenet*, *tenebat*, *tenuit* cet.; aut potius ellipsi detrahitur in oratione *negotium* vel *respectus* quae nomina sunt et orationis subjectum et ratio genitivorum eas locutiones concomitantium.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

MYSTERIUM FIDEI

*Forte per umbrosum spatiabar litus Hiberi
Frigus amabilius, sole cadente, petens.
Dumque sinus intrat repletque levissima nostros
Flans ab hyperboreis montibus aura vaga,
Visa adstare mihi delapsa ex aethere virgo,
Cui vox, caesaries, os habitusque deae.
Induit ostrum umeros et velat lumina vitta,
Funditur ad teneros aurea palla pedes.
Illa mihi adridens verbis sic fatur amicis,
Intendo qui aures ad sua dicta meas:
«En ego certarum venio tibi nuntia rerum,
Una e caelicolis, aëre lapsa Fides,
Alma Fides, sacri custos sanctissima veri.
Mentibus humanis hospita, fida comes.
Accipe jam paucis – adverte docebere paucis –
Divis de dapibus quae documenta fero.
Primum caelestes epulae sunt sensile signum,
Gratia quo augetur, concipiturque Deus.
Triticeus panis consecranturque liquores,
Quos pedibus pressos dulcior uva dedit.
Et simulac dixit sollemnia verba Sacerdos,
Intus Numen adest, insidet intus, inest:
In vobis Deus, ecce Deus, sub imagine certa,
Sub specie panis sub specieque meri.
Hae sunt caelestes epulae, caelestia mensae
Pocula divinae, munera, Christe, tua.
Nec posthac remanet panis natura merique,
Sed Christi verus fit crux atque caro.
At remanent species, quarum sub qualibet intus
Et quovis totus fragmine Christus adest.
Non igitur panem, non vinum suscipis ore,
Panis at et vini sola figura manet.
Pocula dia dapesque simul libare beatas
Qui non sacrificat regula nulla jubet.
Denique sacratus tantummodo rite Sacerdos
Mystica magna Dei sacrificare potest».
Dixit: et ut grata pectus dulcedine movit,
Aetheris alma Fides limina ad alta redit.*

Josephus LLOBERA, S. J.

Scholastici angustiae

ANTONIUS, MICHAEL, FELIX

- A. —(Voce elata). *Gibraltaria et Malta in Europa; Syria, Palaestina, Mesopotamia; Aden, Perin, Cameran...*
- M. —*Quorsum vero istaec, Antoni? Facisne exercitium declamationis?*
- A. —*Pol, si os reserem modo, fors id queam mox obturare; quod si nunc vocito, cras sileam ac mitigabo...*
- M. —*Verum tu semper ipse jocator! Quid nunc sermonis opus est anfractus?*
- A. —*Rem tibi explicabo, Michaël. Numne ejus modi recordaris pagellam Geographiae, quae de Anglicis est coloniis?*
- M. —*Immo pagellas dicio! Merendas mihi unius fere hebdomadae ademerunt; atque id, hercule, ex mente labitur nunquam.*
- A. —*Rem plane antevertisti meam, sodalis. Nunc vero fac credas, integrum hanc lectionem in crastinum exigendam in mentem praeceptoris venisse?*
- M. —*Satis id nimium est!*
- A. —*Immo, mala tergo merx, omnem quae transgreditur modum!*
- M. —*Quid vero condiscipuli ceteri?*
- A. —*Ad unum, Michaël, exercemur omnes. Quid vero agas? De nobis magister si fuerit vel mininum suspicatus, actum est de pelle nostrâ!*
- M. —*Quam ob rem, amice, patientia opus est.*
- A. —*Ideo dictata repeto memoria, ut quidquam ea retineam possimque os claudere in merenda crastina atque stomachi mitigare clamores...*
- M. —*Clamores quippe desperationis isti sunt! Fames omnium certe terribilem terribilissima est!*
- A. —*Ast omnes, conjecto, erunt inutiles conatus; hoc enim cucurbitae caput...! Ah, mea merenda! Hei mihi misero! (ingreditur Felix).*

ANTONIO, MIGUEL y FÉLIX

- A. —(En voz alta). *Gibraltar y Malta en Europa; Siria, Palestina y Mesopotamia; Adén, Perín, Camerán...*
- M. —*¿A qué viene todo esto, Antonio? ¿Por ventura haces ejercicio de declamación?*
- A. —*A fe, si ahora abro la boca, quizá luego la podré cerrar; y si ahora veo, mañana callaré y podré mitigar...*
- M. —*Pero ¡siempre eres el mismo! ¿Qué necesidad hay ahora de rodeos?*
- A. —*Te lo voy a explicar, Miguel. ¿Te acuerdas acaso de aquella página de la Geografía, que trata de las colonias inglesas?*
- M. —*¡Páginas, dirías mejor! Ellas me costaron la merienda de casi una semana; y esto, por mi vida, que no se olvida jamás.*
- A. —*Pues has dado con mi caso, amigo. Y ¿creerás tú que le haya ocurrido al maestro, señalarnos toda esta lección para mañana?*
- M. —*¡Esto es demasiado!*
- A. —*Sí, ¡es una carga que pasa de raya!*
- M. —*Y ¿qué tal los demás condiscípulos?*
- A. —*Todos, Miguel, estamos fastidiados. Pero, ¿qué hacer? Si el maestro sospecha lo más mínimo de nosotros, estamos todos perdidos!*
- M. —*Por esto no hay más remedio, amigo, que la paciencia.*
- A. —*Y por esto mismo voy repitiendo la lección, por ver si retengo algo y mañana puedo cerrar la boca en la merienda, y acallar los clamores de mi estómago...*
- M. —*¡En verdad que estos son clamores de desesperación! El hambre es el peor de todos los males!*
- A. —*Mas, sospecho que todos los esfuerzos serán inútiles; esta mi mollera... ¡Pobre merienda! ¡Ay de mil (entra Félix).*

- F.—*Quid nunc rei est, Antoni, numquid nam novi? Vocem tuam ex platea quasi quempiam vocantem audivi...*
- A.—*Equidem nullum vocabam, quiritabam... Ast, commode venisti, mi Felix!*
- F.—*Quid tuus ita vultus inmutatus est? Ubinam illi tui usque ludibundi oculis?*
- A.—*Heu, certis cum de rebus agitur, intentos quis, velis nolis, cogiturn habere nervos!*
- F.—*Quid vero caussae, quod adeo stomacheris?*
- A.—*Rogas et tu..? Crastinam jam jam me rendam meam video volantem.*
- F.—*Estne fortasse aliquis columbus?*
- A.—*Ne multa, Felix; in crastinum lectio omnium difficillima Geographiae ad discenda est, et...*
- F.—*Quota illa est, qua vexaris oade?*
- A.—*Quinquagesima; nempe quae est de Anglicis coloniis.*
- F.—*Vah, cinerem, amice, quaeritas! E vado facile emerges!*
- A.—*Qui, rogo, eam memoriae mandabo meae?*
- F.—*Praeceptor si interroget, hoc fere modo dicio. Colonias numero esse multas: Angliam potissimum coloniale mundi potentiam. Ejusdem possessiones per omnes continentates atque maria in superficiem Africa fere majorem sese extendere... Quod si ille amplius urgeat, imperium Indiae conmemora, Foederationem Australianam, Unionem Surafricanam, Dominium Canadense... Iis autem ejusque generis, quae omnis filius terrae novit, paucis in extremo jam versaris calle! Quibus si divisionem addes coloniarum in Protectoratus, Mandatus, multo quidem melius...*
- A.—*Ita quidem est! Usque taxilli mihi Joris feliciter cadunt! Vivat Felix, atque, ut minimum, e doctorum unus Graeciae eradat!..*
- F.—*His igitur rebus supersedeamus; et quoniam lectionem jam aucupasti, Antoni, lusum in agro adeamus; crastinus alius erit dies.*
- A. et M.—*Optime omnium; lusum igitur eamus.*
- F.—*¿Qué es esto, Antonio, ocurre algo nuevo? He oido tu voz desde la plaza, como si llamasen a alguien...*
- A.—*A nadie llamaba, rabiaba... ¡Pero has venido a tiempo, Félix!*
- F.—*Y ¿por qué está tan demudado tu semblante? ¿Dónde están aquellos tus ojos siempre tan alegres?*
- A.—*Ay, cuando se trata de ciertos entredos, uno, quiera o no quiera, se ve precisado a tener los nervios en tensión!*
- F.—*Y ¿cuál es la causa de tu desazón?*
- A.—*También tú lo preguntas.. ?Ya estoy viendo volar la merienda de mañana.*
- F.—*Es por ventura alguna paloma?*
- A.—*No más palabras, Félix; mañana he de aprender la lección más difícil de todas las de la Geografía, y...*
- F.—*Y ¿qué lección es la que tanto te atormenta?*
- A.—*La cincuenta, que trata de las colonias de Inglaterra.*
- F.—*Vah te apuras, amigo por muy poca cosa! ¡Pronto se despacha uno!*
- A.—*Y ¿cómo voy yo a aprendérmela de memoria?*
- F.—*Si te pregunta el maestro, dí poco más o menos: Las colonias son muchas; pues Inglaterra es la primera potencia colonial del mundo. Sus posesiones se extienden por todos los mares y continentes, en una extensión casi mayor que África... Y si él te urgiese más, trae a cuenta el Imperio de la India, la Federación Australiana, la Unión surafricana, el Dominio canadiense... Con esto y otros pocos datos, que se sabe todo el mundo, estás ya fuera de peligro. Y si a esto añades la división de las colonias en Protectorados y Mandados, mejor que mejor...*
- A.—*¡Esto es! ¡Cuán a punto está siempre la mano de la fortuna! ¡Viva Félix, y que por lo menos iguale a uno de los sabios de Grecia!*
- F.—*Dejemos, pues, ya esto; y como que ya sabes la lección, Antonio, vamos al campo a jugar; mañana será otro día.*
- A. y F.—*Muy bien! ¡Vamos, pues, a jugar!*

Commercium Epistulare

ogs eritudo omnia, et invenimus nos, ut obitum est sovrum
etq; stebesb xov ut obio est sovrum

Andreas Averathus Sto. V. D. Emmanueli Jové, C. M. F. salutem dicit.

Expecialissimae litterae tuae mirifice animum oblectarunt meum; et sunt
hoc mihi preiosissimi, quod, quidquid litterarum ex tuis prodiit manibus, ab
occupatissimo viro procedere nemo est qui audeat negare, modo PALAESTRAM
cogitet, quamdam prolem tuam tuis diurnis, et haud scio an etiam nocturnis
sollicitudinibus alendam, vestiendam, ornandam. Cui, guidem et ipse simul
atque potero, aliquantulum ex meo victus sumministrabo. Sed mihi, quoq; iens
ottii sabiduxi rationem plane videor in «novam commorationem» transiens ex
Scylaeis angustiis in voracitatem incidisse Charybdis, aut potius ex voracita-
te Charybdis in Scylaeis fatus. Verumtamen utriusque nostrum esse reori
manere in vice epistularum tot annos observata. Utinam vero aliquando ex iis,
quibus tam liberarem damus in commercium nostrum prospectum, societatem
similem sibi vel nobiscum vel inter se sine inuidam alii decernant.

«Suscitabulum», igitur tuum optime inventum dico. Quam verum est,
quod Alma Roma in hunc annum praefatur: optimum studium linguae vocabu-
larii lectionem esse; multa, qui faciat, perceptum esse nostris adhuc rebus
et instituta respondentia. Persequeret ubi id ipse saepe essem expertus, nisi
horologii ad horarum quadrantes, inclemens et inexorabilis tinnitus commen-
datet brevitatem: Sed vide, quam sit utile, si quid scire velis, interrogare. Tu
mihi obtuleras «suscitabulum». Qui germanice callent, intelligent vix aliam
vocabum inventre posuisse, qua haec «Wecker» redderetur significantio. Nunc
autem utique, solam cum protulisti, in continentis quidem sermone sane rem
subjectam clare satis emunt, absolute, parum. Subit igitur adhuc gaudens
«suscitabulum» tuamque non minus in respondendo humanitatem: sic dispergi
ambiguitatem auribus Latinorum, si qui quoq; illud instrumenti vult intelligi
sexpergicum horologium, vel «suscitabulum horologiarium» nominet, sicut
Germanorum auribus non gelinquamus dubium inferentes «Wecker-Uhr». Et
hoc quidem mea fert opinio.

Nunc quoniam loqui cupi, est aliud, in quo mihi haereat aqua. Animad-
verti isti satis procedere male in Roberti Scotti facinore antartico? His
igitur ipsis diebus quidam dum consedemus ad mensam, mentionem fecit cu-
sisdam curruum generis bellorum, quibus qui cooperunt Angli contra Ger-
manos in Gallia pugnant, quos illi suo vocabulo *tanks* vocitabant. Septena
fumilla monstra perniciem vomentia singulis horis percurrisse chilometra,
nunq; construca esse, quae eodem tempore legerent septuaginta chilometra.
En, inquam, post nonnullos annos, vehicula, quibus non tribus mensibus, sed
diebus, ad antarcticum polum facile labar ego intra machinamenti viscera tutus
ab injurya frigoris! Et quoniam in sexta parte mundi sermone Latino utemur,
scire iam nunc cupio, quo nomine vehiculum appelleam meum. Nam *Tank* ante
bellum mundi dici memini receptaculum aquae ex ferreis laminis simile cistae
effectum. Nostros audio fecisse *Kampfwagen*, h. e. currum pugnae, nomine,
ut mihi videtur, parum proprio. Itaque si quid tibi occurrerit, te oro, ut me fa-
cias certiorum, nam facies mihi gratissimum. Vale.

Ex oppido Tirschenreuth Bavariae, Kal. Mart.

Emmanuel Jové, C. M. F. Andreae Avonario, S. V. D. s. p. d.

Tu vero litteras, cum volueris, nescio qua facilitate et jucunditate compleas. Stylographum solvis et fluit linimentum super cartam continentis filo, donec ex voluntate capulo iterum pennam obtegis. Quid interest te pluribus esse distentum occupationibus? Hanc non minimam reputas, quae amicis satisfaciendis consulit; vel si faucibus Scyllae comprimeris, tu tuis non deeris. Quod ad me attinet quid unquam Fornario dignissimo atque humanissimo viro denegem cui adeo sum devinctus et benivolentia et beneficio?

Nunc his dictis iterum ad *suscitabulum*. Laetor ibi placere nomen, cum fortassis tinnitus ejus displiceat et quia stridulus et quia non semel etiam importunus. Vos, Germani homines, qui conglutinatis non solum syllabis sed etiam vocabulis species mentis complexas exprimere soletis, non facile adquiescitis nobis, Latinae suboli, qui a matre Latina rei nota quadam praecipua rem declarare totam didicimus et ex usuali nominis applicatione totam rem comprehendere. «Expergicum horologium» est optima «suscitabuli» definitio cum genere et differentia specifica, ut loquuntur philosophi. Si quaerat discipulus tuus cum ad aures ejus primum veniat *suscitabulum*: quid est *suscitabulum*, praceptor? Nonne respondeas: horologium expergicum?


Te equidem sequor in itineribus antarticis quae lingua Latina primam decussare non hercle minus pectoris postulat quam terras illas glaciatas canibus et mannulis comperire. Credo autem parum audere te cum crustam niveam gelu adstrictam times uno vocabulo nominare; velim te etiam montes istos superare docere. *Glacier* nos *glaciar* vocamus Hispana gens quod nomen sicut infinita alia e Latino fonte repetivimus. Unde? quaeris.—Ex adjektivo *Glaciaris* in quo euphonica ratione mutavimus / in r propter antecedentis / proximitatem, ut sit communiter apud Latinos. Sic adjektiva quae in *alis* regulariter finiuntur: *mortalis*, *navalis*, *venalis*, *regalis*, desinunt in *aris*, si praecedat /: *auxiliaris*, *consularis*, *lunaris*, *militaris*. Cur—inquis—id non factum est in *glacialis* iam in lingua Latina?—Quia ex una parte neque adjективum nimis erat in usu et ex alia ejus / non sonat plene sed liquide, atque ideo parum obest / finali in pronuntiatione. Scis etiam ex laudatis adjektivis facile substantiva derivare ut *tibiale*, *cubital*, *exemplar*, ex adjektivis *tibialis*, *cubitialis*, *exemplaris*. Quae quidem substantiva quidquam innuunt ad *tibiam*, *cubitum*, *exemplum* maxime pertinens. Numquid est quod ad *glaciem* maxime pertineat quam «crusta illa nivea gelu adstricta»? Hanc ideo *glaciar-aris* latine etiam adpellabo. Crede mihi, si vocabulum hoc exceperis, quasi aerivola (navi) montes istos melius exploraveris.

Sed tu id non quaerebas. Quod Fornarius exposuit olim in *Alma Roma* de *Tan* id ego accipio, quamvis mihi quidquam in mentem venit, quod alio die fortassis tibi aperiam. Cogita tu interim de *essedo*.

Loquacitati meae parces et valebis.

Cervaria, XII Kal. Majas.

D O M U S



Multum ac saepe eunte tempore disceptatum est inter peritos, sitne lingua Latina idonea non modo ad scientiarum commodum atque usum, sed etiam ad vulgaris vitae conversationem utilis et opportuna. Quae scilicet disceptatio erit, dum ii quoque erunt, qui in re agitanda sensui suo, aut utilitati propriae communive indulgent, aut legi tandem minimi conatus. Hi enim quasi loci esse solent, ad quos scientiarum cultores artiumque se recipient. At nos nullam instituentes controversiam, Latinam linguam ad omnes vulgaris, atque hodiernae vitae usus et aptam et utillem aestimamus semperque aestimabimus. Cui certe rei tantulum commonstranda in hac sectione Palaestrae nostrum intendit studium de iis potissimum argumentis agendoquae maxime ad id consiliū videbantur pertinere.

Tantum modo, inquam, incoepio opus est. Sed haec melius ex re et ex tempore ii, quorum intersit, constituent.

Nunc vero extremam jam hujus scholaris curriculi picturam lectoribus expono. Haec autem nobis locum dat ut aliqua dicamus de ea, quae vocatur methodus directa. Ante vero incoepit, ut soleo, submittam tibi, lector, latine et vernacule rerum inibi notatarum nomina. Ea nempe sunt:

1 Chimenea	caminus	9 Columna	columna
2 Giralda	verticillus	10 Puerta (externa)	fores
3 Tejado	tectum	11 Sótano	cavea
4 Pizarra	scindula, ardusia	12 Fundamento	fundamentum
5 Buharda	spiraculum	13 Escalinata	scalaria, ium
6 Andamio	vara, cuplae	14 Ventana	fenestra
7 Fachada	frons	15 Galería	pergula
8 Balcón	moenianum	16 Escalera	scalae, arum

17	Peldaño	<i>gradus</i>	30	Paralelas	<i>parallelae</i>
18	Suelo	<i>solum</i>	31	Arboleda	<i>arboretum</i>
19	Mortero	<i>mortarium</i>	32	Anillo	<i>anellus</i>
20	Paleta	<i>rutrum</i>	33	Trapecio	<i>trapezium</i>
21	Albañil	<i>caementarius</i>	34	Cuerda	<i>catodromus</i>
22	Carpintero	<i>lignarius</i>	35	Zancos	<i>grallae</i>
23	Tornillo	<i>torculum</i>	36	Columpio	<i>oscillum</i>
24	Banco	<i>scamnum</i>	37	Cometa	<i>cometa (m.)</i>
25	Yunque	<i>incus, udis</i>	38	Globo	<i>globus</i>
26	Cepillo	<i>grosphus</i>	39	Tejo	<i>discus</i>
27	Corretón	<i>plostellum</i>	40	Zumbel	<i>scutale</i>
28	Peón	<i>pedes</i>	41	Peonza	<i>trochus</i>
29	Bomba	<i>antlia</i>	42	Bolos	<i>globuli</i> .

In multis iisque variis disciplinae hodiernae linguarum methodis ea quidem eminet, quae apud auctores solet dici Methodus directa. In eo nimirum hujus stat summa methodi, quod scientiae linguae nullo fere sermonis auxilio vernaculi a magistro alumno proponatur. Quem ad modum in gremio matris puerulus auditus ope materna eruditur lingua, sic etiam in schola gymnasioque magistri adolescentulos educandos curant eo solido principio innixi: loquendo loqui addiscit homo. Ex qua quidem ratione agendi magis emergit et facilis usus proprietasque sermonis. Praecipua autem methodi hujus ratio, quod facile consideranti liquet, est usus atque exercitium visus, sensus inter omnes principis maximique momenti in rebus animo infigendis. Quam ob rem assidua in ea et continua muralium tabularum exhibitio, quorum est specimen pictura adjuncta. Eae scilicet tabulae non modo ad nomina rerum memoriae mandanda juvant maxime, verum etiam ad mutua inde statuenda alumnorum infer et magistrorum conloquia atque sermocinationes. Nemo autem non viderit commodum hujus visualis, praesertim in pueris instituendis, methodi. Haec vero hactenus de tradendarum in schola hodiernarum linguarum methodo. Quid autem de avitae Latinae linguae studio atque methodo?

In institutione hodierna linguae Latinae vix aut ne vix quidem, quod ego sciam, directa methodus usū adhuc venit. Sententiarum disparitas in causa fait ne ratio antiqua docendi immutaretur. Immo vero etiam, immutata est nonnullis exteris in nationibus, sed tamen malo, quod videtur, omne. Lingua ante Latina, de pristinis loquor saeculis, quasi colebatur viva. Hodie autem a plerisque habetur mortua. Quid enim tantum in disciplina hodierna studium ad etymologiam pertinens, ad phoneticam et morphologiam et semanticam, et tantilla de eadem in sermone et scriptione adhibenda cura, quam ubivis gentium vides? Nonne id est corporis mortui desectionem facere?

«At minime—inquis—ad conloquendum disserendumve ego, verum ad intellegendum Latinum sermonem colo, ad partes alias antiquitatis classicae gustandas, ad mei ipsius sensum aestheticum amplificandum...» Eae, fatemur, sunt studii Latinitatis partes, at neuticam omnes. Quod si illud valet quibusdam humaniorum Litterarum studiosis *Linguae mortuae resurgent nullae*, non ita tamen valet plerisque lectoribus nostris, quibus Latina in mortuis non est habenda, sed vivis iisque omnino usu et intellectu necessariis linguis. Sufficit enim eam universalis Ecclesiae linguam esse. Non ideo tamen consequor

hoc loco, ut omnes scientiae linguae hodiernas methodos Latinae ad unguem applicemus. Suum enim est cuique reddendum. Id autem mihi certo certius erit, has nisi insuaves methodos tradendi Latinitatem quae grassantur passim faciamus missas, nec vividius juvemus mentibus Latinam linguam exprimamus, id, inquam, studium et injucundum usque alumno et infecundum erit. Quid igitur mirum, si tot in arripiendo id studii adulescentes animum despondeant?

Hanc igitur methodum directam adjumento fore maximo in studio Latinae linguae nulla prorsus subest dubitatio. Incoepio tantum, repeto, opus est. Quidquam certe hac in re Palaestra, adhuc nostra molita est multumque in posterum conabitur quod ut bene veritat, et operam lectorum et officium expectamus vehementer.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Palaesticus Ephebis Suis

Ad curriculi finem jam adeptentes, selecti pueri, qui in Palaestra Latina ludere gaudetis, quidquam vos monitos volo. Sunt qui, neglectis, quae proponimus, exercitiis, alia ad actuariam mittant petentes ut edantur. Verum cum ex una parte brevis sit locus qui scholaribus tribuitur ejusmodi exercitiis, et ex alia solum in communiter propositis vires concertantium metiri possimus, eas dumtaxat lectoribus exhibire constituimus, aliis omnino exclusis. Igitur, quae hucusque propositae sunt compositiones, neque perfectae, eas omnes, inquam, a primo Palaestrae Latinae numero editas, ad nos mittere potestis. Gaudete multum et requiescite aestivis vacationibus sed mementote etiam neque in illis licere penitus et perpetuo vacare.

El Perro y el Gato (p. 103)

Un perro sostenía feroz contienda con un gato y en idas y venidas habían llegado a un estrecho callejón (R. Hernández) por donde quedaba una sola salida al campo abierto cerrada por el cuerpo del perro (P. Pagés). El gato horriblemente herido se estremece al ver que se le acaba la vida (N. Sánchez); así, reducido al último extremo, desesperando de la fuga en el trance más crítico, toma una audaz resolución y salta con ímpetu violento sobre el lomo del adversario (C. Larena), le clava sus uñas, le rasga cruelmente el pellejo hasta que satisface su rabia y su furor (E. G. Tejero). El perro se extremece, brinca ferozmente y escapa medio loco; pero no podía librarse del terrible jinete que continuaba clavándole el peine de sus uñas (R. Hernández). Finalmente postrándose en tierra el perro se arroja valiente con la boca abierta contra el cuello del gato (P. Pagés), pero éste corriendo enseguida, veloz como el viento, se sube a un elevado árbol y desde lo al-

to de una rama cubre de denuestos al perro que seguía ladrando y estaba cubierto de sangre (N. Sanchez). Superándome en fuerzas—le dice—te he vencido por mi valentía y agilidad (C. Larena).

Descriptio Alexandri Magni

Alexander nativa corporis forma conspicuus externum despiciebat cultum (R. González). Ab adulescentia proportione perfecta membrorum vigoreque artuum insignis fuit (C. Alloza). Statura ejus intra proceritatem stetit; pelle alba, coma rubicunda caiamistro intorta, aquilino naso, oculis colore disparibus, (F. G. Tejero) namque dicitur laevus glaucus fuisse, et admodum niger dexter (P. Pagés), in quibus vis quaedam occulta erat ut aliorum oculi in eos conjici sine veneratione pariter et timore non possent (C. Alloza). Mirabili pedum perniciitate quam rex exercitare non destitit. Itaque cum celerrimis militibus cursu certare persaepe visus est. Denique in laboribus constantia mirum in modum magna (J. Sidera).

SOMNIUM SCIPIONIS

